



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

112 Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum,
propter retributionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

Inclinaui cor meum ad faciendas
iustificationes tuas in æternum
propter retributionem.

QVONIAM vero suo pondere, id est,
amore, quo fertur, carere cor non po-
test, ne ad vanitates, & insanias falsas, id
est, ad sensibiles appetitus vergeret, incli-
naui illud, id est, toto pondere ad iustifica-
tiones tuas tendere feci. Inclinaui etiam,
quia per humilitatem legi tuæ subieci: ne
erigendo se, caderet infra se; ac per hoc nec
se inueniret, nec te. Non est enim volunta-
ria subiectio nisi humilium. Imò inclina-
ui, vt immediatè contingeret præcepta tua,
quibus agglutinaretur: nam quicquid me-
dium interponitur, iam cor seiungit. Qua-
re obsecro te, aufer à me quicquid interce-
dere potest, vt se toto placita tua tangat:
illis penitus adhærescat.

Nec parua censenda est retributio pax
ipsa, & quies, quam in adhæsione ad le-
gem tuam inuenit. Nam omnia ponderi-
bus suis aguntur, & loca sua petunt. Mi-
nus ordinata inquieta sunt: ordinantur, &
quiescunt. Atque ita cor hominis, dum
in mandatis tuis requiescit, in te requie-
scit: ac propterea verè requiescit. Nam
væ animæ audaci, quæ sperauit, si à te
recessisset, se requiem habituram, cum
dura sint omnia, & tu solus requies. Et
qui-

Inclina-
tur cor
Primò per
amorem.

Secundò,
per humi-
litem.

Tertiò,
ad tangē-
dum.

Retribu-
tio est Pri-
mò pax, &
quies.
Aug. cōf.
l. 33 c. 10.

quidem, si nulla esset alia retributio, merito ob hanc pacem, quam in lege tua quiescendo inuenio, cor meum ad illam inclinarem.

Secundò, Sed est & alia retributio, quâ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quia seruâtibus legem tuam promissisti speciem tuam, & quibus dedisti, ut te diligerent, promissisti te ipsum manifestare. Quo breui verbo omnia desiderabilia concluduntur. Sed namquid Domine, quia propter retributionem ad legem tuam sectandam accingor, mercena ius sum, ut

Tertiò, ipse Deus, propter mercedem seruiam? absit. Et mercedem specto, & mercenarius non sum, cui ex amore quia merces mea magna nimis tu ipse es; seruit. & visio, & amor possident te. Quid enim *Psal. 72.* mihi est in cælo; & præter te quid volui super terram? Amore igitur serui, ut amore possideam. Hæc est enim verè beata vita

Aug cōf. l. 10. c. 22. gaudere ad te, de te, propter te. Propter hanc retributionem qui seruit, quoniam amor merces est, & tu ipse, qui amore in æternum possideris, merces es, non propter aliud te diligit, neque alio tendit. Ergo inclinavi cor ad faciendas iustificationes tuas propter hanc retributionem, quam solam intendo, solam cupio: cui soli inhio, quæ sola vita est.